



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agrippinae, 1684**

82. Implorato contra exemptos brachio sæculari, an indistinctè pareri  
debeat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

QUÆSTIO LXXXII.

Implorato contra exemptos brachio seculari, an pareri debeat.

SI Papa impetratur, nemo dubitaverit, *Navarrus in relect. cap. cum contingat. Summa. 1. de rescriptis.* Si vero ab ordinario, aut alio qui imperium vel iurisdictionem in exemptos non habet, pareri non debet, *Barthol. Fumus in aurea armilla verb. index. p. 15. dixi sup. eod. lib. 9. 39.*

Cum enim brachium seculare impartitur cognoscere possit de nullitate sententiarum, sicut executor mixtus *Navar. d. remed. 1. nu. 8. dixi sup. lib. 2. quæst. 44.* merito executionem sententiarum nulliter in exemptum lata subterfugere potest. Qua de re tamen valde controversi refert *Gravatus ad Vestrum in praxi Rom. lib. 8. cap. ult. nu. 4. & seqq.*

QUÆSTIO LXXXIII.

Exemptus coram quo petere poterit restitutionem in integrum.

SUMMARIUM.

1. Restitutio petenda regulariter coram iudice rei.
2. Quid in exemptis.
3. Duo specialia non possunt concurrere circa idem.

Restitutio in integrum coram iudice Rei regulariter est impetenda *l. 2. C. ubi, & apud quem ubi Barth. Marant. de ord. iudic. par. 6. act. 2. in decis. n. 201.* quod restringitur, nisi Ecclesia, aut clericus restitutionem peteret; tunc enim non sortietur farum rei laici, sed Ecclesiastici iudicis, qui restitutionem petentis competens est, *Marant. d. n. 201. Franc. cap. 1. num. 7. de restit. in integ. in 6. Abb. cap. ad nostram de reb. Eccles. non alien. per cap. ult. de restit. in integ. Quid autem in exemptis? Idem quod de clericis affirmasse videtur Innocentius ca. cum sit de foro compet. Rom. sing. 112.* Dum extendit præactam decisionem ad omnem eum casum, quo quis speciali aliquo privilegio munitur, uti retulit *Peckius cap. 1. ampliat. 7. de restit. in integ. in 6.* At vero contraarium fusa disputatione sustinuit *Barbatus in d. ca. 1. hæc potissimum ratione, quod si id concederemus, duo specialia circa idem concurrerent, quod iura non admittunt. l. 1. C. de totis promiss. l. si quando C. de inoff. testam. fusi hoc axioma explicat & distinguit Menochius lib. 1. præsumpt. 47. num. 6. & seqq.* Si quidem speciale restitutionis privilegium concurreret cum privilegio non sequendi forum Rei, Quam

Bbb 3